

3787.

DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**L O C H I I S**  
QVAM  
CONSENSV  
INCLYTAE FACVLTATIS MEDICAE  
IN ALMA ET PERANTIQVA HIERANA,  
PRAESIDE  
**DN. D. HERM. PAVLO IVCH**

SACRI PALATII CAESAR. COMITE  
FACVLT. MED. H. T. DECANO SENIORE ET ASSESSORE PRIMARIO  
PATHOL. ATQVE PRAXEOS PROFESS. PVBL. ORD.  
SERENISS. SAXON. DVC. VINAR. ET GOTH. CONSILIAR. AVL. ET ARCHIATRO  
NEC NON ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. COLLEGA,

PRO LICENTIA  
SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET  
PRIVILEGIA DOCTORALIA  
LEGITIME CONSEQVENDI,  
PLACIDÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT  
AVTOR  
**IOANNES GEORGIVS VRBANVS**  
GOERLICIO - LVSATVS.

IN AVDITORIO MAIORI COLLEGII MAIORIS  
HOR. CONSVET.  
DIE XXIV. DECEMBER. ANNO MDCCXLIX.

ERFORDIAE  
Typis JO. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

Obstetr.

25,114.

Opferb. 211.

Partus.  
Lochia v.



VIRIS  
MAGNIFICIS ET CONSULTISSIMIS,  
PRAENOBILISSIMIS ATQUE DOCTIS-  
SIMIS  
CIVITATIS GOERLICIENSIS  
EX SEX LVSATIAE VRBIBVS  
CELEBRIS  
CONSULIBVS  
LONGE MERITISSIMIS,  
SCABINATVS ASSES-  
SORIBVS,  
SENATVS IVRISCON-  
SVLTO,  
RELIQVISQVE PATRIBVS  
CONSCRIPTIS DIGNISSIMIS,  
PATRONIS SVIS OMNI HONORIS  
CVLTV PERPETVO DEVENERANDIS,  
HANC DISSERTATIONEM IN AVGVRalem  
SACRAM ESSE CVPIT  
AVTOR.

VIRI  
MAGNIFICI, CONSULTISSIMI  
AC  
PRÆNOBILISSIMI,  
P A T R O N I  
SVMMA VENERATIONE COLENDI,



Lures in unum locum conveniunt  
causæ, propter quas inauguralem  
hunc laborem VOBIS sacrum esse  
volui. VESTRIS auspiciis Patria  
mea floret, cuius res consilio regitis, integri-  
tate tuemini & conficitis virtute. VESTRA  
ope ecclesia floret, splendet curia, ac cives  
calamitate prohibentur. Cum vero homi-  
nes

nes ad Deum nulla re' proprius accedunt,  
quam aliis salutem dando; commune civis  
officium est, eos venerari, qui omne tempus  
in Patriæ salutem conferre, ac semper in spe-  
culis esse consueverunt. Præter communia  
hæc, etiam singularia in Parente meo ac me  
**VESTRA** extant beneficia, quæ ante ocu-  
los pono, quotiescumque totius vitæ repeto  
memoriam. Id circa magnum & amplum  
semper de **VOBIS, VIRI MAGNIFICI AC**  
**PRÆNOBILISSIMI**, cogitavi, diuque id e-  
gi, quo modo, quod in animo esset, publice  
declararem. Postquam igitur primum Wit-  
tebergæ & dein, semestri proxime elapso, in  
academia Erfordiensī salutari scientiæ ope-  
ram dedi, ac nunc, examinibus exantlatis, ho-  
nores ac privilegia in arte medica capessivi:  
non mediocri cupiditate hanc, gratum ani-  
mum **VOBIS** publice significandi, arripui oc-

casionem, & si in bonam partem cœptum  
meum accipitis; vitæ meæ fructum maxi-  
mum me cepisse, arbitrabor. Liceat mihi et-  
iam in posterum omnem spem meam in  
**VESTRAM** protectionem conferre, &  
pro salute **VESTRA** ac patriæ civitatis ar-  
dentissimas fundere preces, ut semper quam  
felicissime cum splendidissimis familiis **VE-  
STRIS** agatis, usque dum naturam ipsam sa-  
tietate vivendi explevistis. Ego vero a VO-  
BIS & in posterum in fidem **VESTRAM** re-  
ceptus, animo & studio semper MAGNO-  
RVM NOMINVM VESTRORVM cul-  
tor ero humillimus.

PRO-



## PROOEMIVM

**M**orbos femellarum bene nosse, multum Medici interesse, facile concedet, qui modo prima praxeos attigit limina. Ubi plurima periclitantur subjecta, eo maxime dirigenda est attentio atque auxilium. Inter mulieres autem magna puerperis minitantur pericula, tam, quoniam ob ipsum partum, in primis difficiliorem, ut vulneratæ sunt considerandæ, quam quia a sinistra obstetricum aliarumque vetularum tractatione multa incurrint damna; his scilicet pruritu eis medicinam offerendi laborantibus. Quem ad modum autem tota puerarum curatio prudentis Medi ci auxilium exposcit; sic cum primis lochio rum

rum fluxus legitimam desiderat curam, ab hoc modo non omnis puerarum salus pendet; eo enim rite succedente, res salvæ sunt, turbato vero pessimus status sequitur, imo interdum **conclamatus**. Puerperis quibusdam auxilium ferentem usus hoc docuit, de qua re sub tractationis fine dabimus exemplum. Hæc vero præfaminis ergo monere volupe fuit; ut rationem lector pernoscat benevolus, cur dissertationis inauguralis loco hanc exposuerim materiali.

### TRACTATIONIS SYNOPSIS.

§. I. Uterus describitur. §. II. Definitio. §. III. Divisio loebiorum suppeditatur. §. IV. de materia excreta. §. V. de tempore. §. VI. de fluxu naturali agit. §. VII. causas legitimi. §. VIII. nimii. §. IX. suppressi. §. X. abortivi enarrat. §. XI. subjecta loebiorum s̄istit. §. XII. signa legitimi. §. XIII. nimii. §. XIV. suppressi. §. XV. abortivi enumerat, sc̄holio hujus casum proferente. §. XVI. prognosia legitimi. §. XVII. nimii. §. XVIII. suppressi. §. XIX. abortivi s̄istit. §. XX. dietam præscribit. §. XXI. medicamina legitimo fluxui convenientia, §. XXII. ei noxia ostendit. §. XXIII. fluxus nimii. §. XXIV. suppressi therapiam docet. §. XXV. uteri purgationem. §. XXVI. balneorum & aquarum mineralium usum in statu chronicō commendat. §. XXVII. quid fluxus abortivus exigat, patescit. §. XXVIII. casum subjungit.

§. I.

## §. I.

**U**terus est viscus molle, pulposum, totum vasis membra. *Uteri de-*  
*nis fibrisque constans, facile extensile nec multum ela-* *scriptis.*  
 sticum, fere liberum, vix pressum, dum peritonæo defenditur,  
 figuræ turbinatæ. Habet arterias ex spermaticis, hypocha-  
 stricis iliacis internis, anastomosibus inter se in plexus reti-  
 culares unitis, incurvatis, totum uterum ambientibus, ulti-  
 mo evanescentibus; quibus dein arteriæ ex iliacæ externæ  
 ramo in arcum flexæ sursum lateribus uteri applicatæ acce-  
 dent. Instructus etiam est uterus simili apparatu & origine  
 venis. In cavitate sua interna non solum pertunditur tuba-  
 rum Fallopii emissariis, sed & plurimis hiatibus exiguis hu-  
 morem aquoso-mucosum exsudantibus, quo interne lubrica-  
 tur & ejus cavitas a concretione impeditur. Orificium ejus  
 versus vaginam tendit.

## §. II.

Lochia sunt excretio sanguinis ac humorum serosorum *Definitio lo-*  
*puerperis post partum contingens. Derivatur a λοχείῳ par-* *chiorum.*  
*tario.*

*Schol.* Fluxus lochialis abortivus abortum non modo  
 sequitur, sed & antecedit, vel sub actu exclusionis enor-  
 miter perrumpit.

## §. III.

Vario respectu lochia considerari solent, quatenus scili- *Divisio-*  
 licet sunt legitima, nimia, imminuta, suppressa. Cujuslibet  
 speciei peculiaris habenda est ratio.

## §. IV.

Materia fluxu lochiali excernenda est sanguis ad uterum *Materia ex-*  
 aggregatus primo purus & multus, subinde grumosus dein *creta.*  
 dilutus & parcior, tandem viscidus, pallidus, ut lotura car-  
 nium, paucus; qui varius quoad copiam, colorem, odorem,  
 tenacitatem, prout diversa puerperæ nutricis vel ablactantis  
 functio, temperies. Circa finem ejus meræ cujusdam lym-  
 phæ nec coloris nec odoris notabilis profluviū succedit.

B

Not.

*Not.* Lochia circa quintum diem gravem spirare odorem, observatum est.

### §. V.

*Tempus.*

Post foetus sine vel cum secundinis vel molæ exclusione incipit hic fluxus, & per plures dies sæpe in tertiam septimanam, rarius quartam perdurat.

### §. VI.

*Qui fluxus  
naturalis  
sc.*

Fluxus lochiorum naturalis est, si placide, justo tempore & quantitate evenit. Nimius impetuose fluit; imminutus minori quam par est quantitate. Suppressus dicitur, si excretione plane non succedit.

### §. VII.

*Causæ legiti-  
mæ.*

Causa fluxus legitimi est plethora tempore graviditatis collecta, jam a natura proscribenda, a ruptio secundinarum, uteri substantia, partium adjacentium actio: nam foetu & secundinis dimissis, fibræ uteri, peritonæi, muscularum abdominalium, vasorum, quæ graviditatis tempore erant distentæ, contrahuntur, & sanguinem expellunt. Inter Medicos est disceptatio, an ex venis vel arteriis potius lochia prorumpant? vero similius quemadmodum in omnibus hæmorrhgiis, sic etiam hic posterius est.

### §. VIII.

*Nimii.*

Causa fluxus nimii, praeter nimiam sanguinis quantitatem & orgasmum, major uteri læsio ab improvida obstetricice illata; secundinarum deficiens excretio; nec non usus pellentium sub partus difficii exclusione, esse potest.

### §. IX.

*Incomplete  
vel complete  
suppressi,*

Suppressionis lochiorum vel partialis vel totalis sequentes causæ reperiuntur: I. Motus tonicus alteratus, quo vel ipsa uteri textura vel exitus ejus occluditur; spasmi enim post partum aliquamdiu perdurant & fibras constringendo sanguinis exitum præcludunt. II. Orgasmus sanguinis. III. Refrigeratio corporis, potus frigidus. IV. Abusus calidorum

rum remediorum, quo pertinent Myrrhata, Crocata, salia volatilia. V. Animi pathemata. Notandum tamen est, femellas, quibus parci menses fluxerunt, etiam pauca lockia experiri.

### §. X.

Abortivum sanguinis profluvium plethora, animi cor- *Fluxus ab-*  
potisque commotiones fortiores quacunque caussa productæ ortivi.  
& uterus debilicatus in scenam producere queunt.

### §. XI.

Fluxus lochialis ordinarii subjecta sunt femellæ partum *Subjecta.*  
excludentes. Lochiorum nimiorum subjecta existunt. I.  
Plethoricæ. II. Cholerico-Melancholicæ. III. Animi pa-  
thematibus in primis iræ obnoxiae. IV. Quæ vinosa & aro-  
matica diæta utuntur. V. Quæ fluxum mensum antea ni-  
mium experta sunt. VI. In quibus secundinæ non rite sunt  
exclusæ, quæ provenientes legitimæ exclusionis explorandæ  
caussæ expandi debent. Imminuti vel suppressi fluxus subje-  
cta reperiuntur: I. animi pathematibus laborantia. II. Quæ  
turbatam aut plane suppressam purgationem menstruam ante  
habuerunt. III. Quibus caussæ adventitiæ accedunt. No-  
vi exemplum puerperæ viginti quatuor annorum, tempera-  
menti melancholici, infantem recens natum non lactantis,  
quæ lochiorum suppressionem ex mœrore quo angebatur,  
perpessa est.

### §. XII.

Legitimæ hujus excretionis signa sunt, si I. sanguis ex *Legitimi flu-*  
*xus signa.*  
genitalibus per VIII. XIV. imo plures dies, statim post fœ-  
tus & secundinarum expulsionem initium sumens, prioribus  
diebus stricte dictus, grumosus large fluit. II. Post quartum  
vel quintum diem excretio hæc cum odore gravi conjuncta  
est. III. Posterioribus vero diebus loturam carnium hu-  
mor refert, dein magis magisque flavescens, pallescens. IV.

B 2

Si

Si ultima excretio lymphatica existit, neque coloribus insuetis praedita, neque odores spargens.

*Nimii.*

### §. XIII.

Fluxus nimius ex sanguinis effusi quantitate enormi dignoscitur, sanguis rubicundus, floridus maxime est, vulgo dicunt das Herz-Geblute gehet, vires puerperæ exhauriuntur, lipothymia corripitur, pulsus evanescit, extremitates frigent, pallor os occupat, faciem Hippocraticam induit aliaque lethifera consectaria subsequuntur.

*Suppressi.*

### §. XIV.

Suppressionis lochiorum incompletæ vel completæ signa sunt: I. si sanguis insufficienter ratione quantitatis vel temporis fluit, vel prorsus sanguinis profluviū sufflaminatur. II. Abdomen tensum, durum & tumidum est, cum variis spasmis, torminibus & anxietatibus. III. Sensus doloris gravantis, tendentis ac lancingantis infimum ventrem, lumbos & inguina occupantis, sentitur, conuncto ardore ac pulsatione. IV. Alvis clausa, dolorosa mictio. V. Facies rubore perfusa, tumens est, oculi fulgent, nares interdum guttulas sanguinis stillant. VI. Animus inquietus, somnus nullus vel infomia terrifica. VII. Respiratio difficillima, lipothymiae, convulsiones, deliria &c. Quæ omnia graviora vel leviora sunt, prout scilicet fluxus complete vel incomplete suppressus.

*Abortivi.*

### §. XV.

Signa fluxus abortivi præter graviditatis indicia hæc sunt: I. Ante abortus exclusionem sanguis ordinare per nonnullos dies mo teste profuit, deinde contumaci motu ac enormi copia effunditur. II. Animi vel corporis, vel utriusque simul insignes præcesserunt commotiones. III. Ipsius abortus vel molæ sequitur excretio, conjunctis ut plurimum anxietatibus, lipothymia nec non spasticis in abdome dolribus.

*Observ.*

*Obseru.* Innotuit mihi femina XXXV. circiter annorum, temperamenti cholericu, ad iracundiam prona. Hæc post animi commotionem insignem, febre correpta est biliosa, anxietatibus præcordialibus, siti flagrante excruciantibus. Malus medicus neque studio neque honoribus medicis auctus, acre purgans ei propinabat, cui tot atque tantæ subsecutæ sunt sedes, ut tota viribus exhausta, ultimum se trahere spiritum crederet. In abdomine spasmi in primis versus genitalia urgebant. In auxilium vocatus, statim an grida esset, expiscabar; quod vero negabat. Ego autem instabam dicens, graviditate præsente, abortum, ob insignem alui commotionem, instare, me id ex spasmis in utero versus genitalia prementibus suspicari. Sanguis inter ea nullus fluebat. Temperantia ac lenem diaphoresin promoventia propinbam. Altero die, abortum fœtus circiter trium mensium factum fuisse, nuntius me certiore faciebat. Continuabam temperantia, blande uterum purgantibus coniunctis. Nihilo minus spasmi persistenterunt, & sex diebus post primum abortum, fœtus priori paulo major ad dimidiam partem putrefactus cum appertinentibus excludebatur. Fluxus lochialis post priorem ac posteriorem abortum non nimius quidem, sed fœtidus erat ac XLI dies durabat, & femina cum sanitate in gratiam reducebatur.

### §. XVI.

Fluxus legitime succedens insignis est utilitatis, omnia Prognosis symptomata suppressi vel nimii fluxus arcentur, sanguis a legitimi fluxu abundans protruditur, contrahitur uterus ac purgatur, puerus. peræ valent atque in dies virium capiunt incrementa. Brevis dieam vita ac valetudo maxime ab hoc fluxu legitime succedente, pendent.

### §. XVII.

Quando prodigiose sanguis effunditur, mitigatio obtinetur. Nimii.  
B ,

neri

neri nequit, secundinis aut illarum portione retentis. Hinc earum eliminationi legitima opera danda. Profluvo nimio continuante, ægrotantis vires intra paucas horas insigniter exhauiuntur, imo penitus consumuntur, subsequentem morte. Interdum tamen nimiæ lochiales profusiones minus periculum minantur, quam illæ, quæ incongrua arte cito suppri- muntur.

### §. XVIII.

*Incomplete  
l. complete  
suppreſſi.*

Confinia quidem sunt symptomata fluxus incomplete vel complete suppressi, prono tamen alveo fuit, graviora ac gravissima de plenarie cohibito esse sumenda. Est vero catalogus eorum sequens: producit imminutio vel suppressio angustias præcordiorum, inquietates, corporis agitationes, cephalalgiam, febres acutas, inflammatorias, purpuram miliarem cum manifesta sæpe malignitate, congestiones ac stases circa collum, pectus & caput, unde angina, aphthæ, afflictiones suffocatoriæ, syncopticæ, cardialgicæ, vomibundæ aut hæmato-emeticæ, deliria, phrenitis, sanguine enim in abdominis visceribus stagnante, spasticæ in nervosis partibus strituræ suscitantur, quæ inæqualem sanguinis reddunt circuum, faciuntque ut is cum impetu aliorum ruat & nimium ibidem congeratur. Hæc vel præcipitem sortiuntur exitum, vel chronicum constituunt morbum, e. g. hecticam, cachexiam, colicam convulsivam, paralysin partium corporis inferiorum, & hanc in primis, si sanguis per spasmos ad os sacrum copiosius delatus ac ibidem stagnans, tandem serosam portionem per vasorum poros dimittit. Porro efficere potest tympanitem, ascitem. In utero facile varices coarctatis nimium uterinis vasis, concrementa polyposa (molæ) nascuntur, ulcerationes relinquuntur cum foetidissimis excretionibus; quibus præsentibus, femellæ miserrimam vitam ducunt. Sequi etiam solent affectus hysterici, mensum ataxia, convulsiones epileptico-hystericæ vel motuum syncopticæ omissiones. Si inflamatio uteri non discutitur interdum putrēscere & in corruptionem sphacelosam transire solet; post mortem ute-

rus

rus ut plurimum cum vagina durus colorisque ex atro brunni deprehenditur.

### §. XIX;

Si fluxus abortum præiens paucus est, nec commotiones *Abortivi.*  
ac spasimi graviores sunt, interdum temperantibus, moderan-  
tibus ac roborantibus, arcetur. Ubi vero sanguis copiose  
jam profluxit, ibi abortus impediri nequit, sed & in optimis  
cohibentibus ac roborantibus opera luditur, magis igitur e re  
ægrotantis est, si id, quod mutari nequit, admittitur, ne cum  
fœtu pereat mater, subsequentibus lochiorum nimiorum con-  
fectariis. Mulier abortum semel perpesta facile iterum abor-  
tiet.

### §. XX.

Quantum fieri poterit ab animi pathematibus est absti- *Dieta re-*  
nendum, & quies animo ac corpori danda. Potus neque *speculo lochi-*  
*calidus* neque *frigidus* sed *tepidus* offeratur, prosunt autem *orum obser-*  
*decocta hordei decorticati, avenæ decorticatae, juscula tenuia, vanda.*  
addito momento macis. In lochiis nimis prosunt juscula  
vinosa, postquam partes spirituosa in vase aperto per lenem  
coctionem avolarunt, addendo dimidiā partem aquæ fon-  
tanæ, modicum sacchari, vitellum ovi & paululum croci. Re-  
gimen neque *frigidum* neque *nimirum calidum* sed *temperatum*  
sit, nimio enim calore & stragulorum injectione purpuræ pa-  
tefit fenestra. Præter ea ob multas considerationes physicas,  
thori usus præmaturus puerperis est interdictus. Cætera ra-  
tione diætæ observanda in tractatione therapeutica passim  
occurrent.

### §. XXI.

Fluxus lochiorum legitimus nulla quidem opus habet *Quid in flus-*  
medicatione, ad præcavendos tamen five excessus sive defi- *xu legitimo*  
etus, aliaque symptomata arcenda pilulæ balsamicæ ad men. *observan-*  
*tem BECCHERI præparatæ per novem priores dies quotidie dum.*  
ad scrupulum unum propinari possunt, combinatis ter de die  
pulveribus temperantibus, y. c. pil. sequentes esse possunt:

R2.

- R.** Aloës Gummos.  
Myrrh. elect. pp.  
Gummi Juniperi  
Heder. aa 3j.  
Extract. Absinth.  
Card. Ben. vinos.  
Cochlear. aquos. aa. gr. xvi.  
Fumar.  
Cent. min. vinos.  
Helleb. nigr. aquos. aa. gr. viii.  
Terebinth. Venet. leniter coct. 3p.  
Rad. Jalap. pulverisat. 3p.  
M. F. l. a. pil. ad pond. gr. j.

Pulvis sequentem in modum concinnari potest:

- R.** Tart. Vitriolat.  
Conch. citr. aa. 3p  
Nitri depur.  
Antimon. diaph. aa 3ij.  
M. D. dosis 3j.

Præter ea fluxui legitimo promovendo egregie inseruit ligatura abdominalis, sic enim muscularum abdominalium ac viscerum actio ad extrudendum sanguinem est major.

### §. XXII.

*Remedias nocentes*  
Puerperæ tamquam vulneratae merito considerantur, quibus ex levissim causis febres inflammatoriae accedere possunt; hinc a remediis sanguinem fortiter commoventibus est abstinendum. In super adstringentia evitanda sunt; quia motus salutares exclusionem respicientes, opprimunt; si autem, necessitate urgente, ut infra docebimus, indicantur, parce adhibenda sunt, interpositis temperantibus & dia-phnoicis.

### §. XXIII.

*Fluxus ni-mii tbera-piz.* Fluxui lochiorum nimio sequentem in modum obviam itur: I. Ter per diem exhibentur remedia orgasmum sanguini-

nis temperantia, qualis pulvis supra descriptus fuit. Expansiva autem, spirituosa, ambrata, crocata non sunt admittenda. II. Temperantibus non sufficientibus, moderantia, lenia anodyna, roborantia, ac mitiora cohibentia in usum vocari possunt e. g. Massa pil. de Cynogl. Wildegans. Millefol. sive in forma infusi sive extracti ad unum alterumve granum, Spec. de Hyacinth. Coralliata, Croc. Mart. Antimoniat. tenerior, Tinct. Vitriol. Mart. Ludov. Cascarilla, Potus bene defecatus cum tantillo citri vel nucis Moschat. mixtus. Pulvis HEVRNII etiam hic conduceit:

**R<sub>2</sub>. Sem. Hyosc.**

Pap. alb. aa. 3j.

Lapid. Hæmat.

Corall. rubr.

Nitri aa. 3ß.

Camphor. scrup. β

M. mane & vespere dosis scrup. j.

III. Quando secundinæ vel in totum vel ex parte restant, usus pilularum ad mentem Bccheri præparatarum maxime pere commendandus est. Illarum exclusio etiam promoveri potest per hepar anguillæ ad scrup. j. cum potionē analeptica propinatum. Alii commendant pulverem sequentem:

**R<sub>2</sub>. Hepat. Anguill. 3ß.**

Borac. Venet.

Cinnab. optim. aa. gr. v. M. d. pro dosi.

III. Pro restaurandis viribus analeptica habent locum, in primis species de Hyacintho uti in omni nimio fluxu sic etiam hic laudem merentur; nam præter virtutem tonicam, analepticum quid fovent. IV. Revulsionis ergo venæsectionem in brachio nonnulli suadent, sed ob virium defectum præstat brachium utrumque tepidæ aquæ, cui vini quidquam admixtum, per horæ dimidium immittere, quod remedium etiam efficacius ac utilius reperitur ipsis cucurbitis ventosis ad mammulas applicatis, quas tamen Hippocrates valde commendat.

C

V.

V. Ut in omni hæmorrhagia præternaturali, ita etiam in hac ventriculi habenda est ratio, optimus cibus est siccus, modicus, salubris, minime dyspeptus & flatulentus. VI. Ad fluxum lochiorum nūnūm præoccupandum commendatur venæse-  
ctio circa instantem partum & quies.

*Obs. I.* In restaurandis viribus polyphagia nocet; præstat igitur parce sed saepius cibum capere.

*Obs. II.* Exsultent remedia valde incrassantia, narcotica & acria expellentia.

*Obs. III.* Ab adstringentium immoderato usu saepe exacerbatur fluxus, morbi chronic produntur, ac perpetuum lymphæ ex utero stillicidium cum intumescens & tu-  
more duro circa dextrum latus inguinalis regionis. conf.  
§. XVIII.

#### §. XXIV.

*Therapia* In imminutione lochiorum interne leniter stimulantia e:  
imminuti g. Pil. Beccherianæ vel sequens Mixtura moderatissimis dosi-  
bus exhibenda:

*fluxus.*

Rv. Eff. Myrrh.

Succin.

Scord. aa 3j.

Croc. scrup. j. M. Dosis xxv. Gutt. bis de die.

Ad orgasmum & spasmos coercendos pulveres temperantes & Tincturæ e. g. Flor. Bellid. vel Pap. Rhœad. e re sunt. A calidis vero medicamentis abstinentum est. Externe cataplasma aut sacculi ex temperatis vegetabilibus resolventibus & roborantibus, additis oleis lenientibus, croc. oriental. Castor. Abdomen, quantum est, etiam linimento ex olei Aneth. cha-  
mæmel. & lil. alb. aa. 3j. olei Carv. drachm. ij. vel etiam Camph. drachm. j. supposita mappula complicata calefacta illiniri potest. Hæc externa quoque in fluxu prorsus suppres-  
so conferunt. Si lochia prorsus sufflaminata, fluxum directe & per stimulantia revocare, in primis si suppressio jam per a-  
liquot dies duravit, non est satis securum; convenit potius æstuationes febriles per pulveres temperantes & potionem diapnoicas

diapnoicas ex aquis destillatis præoccupare. Pro potu ordinario dari potest tenue insculum ex pullo gallinaceo, Rad. Scorz. Cichor. Rasur. C. C. addito ad gratiam succo aurant. Præsente plethora, venæsectio in pede instituatur. Cel. HOFFMANNVS *in therap. spec. f. i. c. 9. §. 9.* inquit: in puerperis venæsectio necessaria, quando lochiis retentis symptomata purpuram comitantia ejus incursum prænunciant, siquidem hac ratione sæpius summas præcordiorum anxietates, animi defctiones, nec non laboriosa & anxia respiratio feliciter tolluntur, ita ut dein summo cum levamine in universo corpore purpura prorumpat. Præter hæc alvus sit libera, id circa in ejus obstructione clysteres adhibentur ex Butyr. insulf. Melle & Nitro, vel

R. Rad. Carlin.

Althææ aa. unc. j.

Herb. Mercurial.

Hormin.

Artemis.

Flor. Cham. vulg. aa Mß.

Sem. Carv. drach, ij.

C. decoque cum seri lactis, vel lactis & aquæ f. q.

Colaturæ R. unc. j. add. Mellis unc. jß.

Pingued. Gall. vel Butyr. insulf. unc. j.

Nitri depur. drach. jß M.

Si obstru<sup>t</sup>io non diu duravit & aliqua restitutionis spes est, ante omnia temperandi sunt spasmi, uti in imminuto fluxu monimus, & hic utilis reperitur pulvis ex Lapid. Cancr. & pulver. March. aa. drachm. j. Antimon. diaph. drach. v. Nitri gr. xvi. cujus quarta pars pro dosi exhibetur, adjectis, si spasmi impensius urgent, pulveris Castorei gr. iv. Spasmis enim nondum sopitis in pellentibus nulla salus est, illis vero sedatis & commotionibus febrilibus absentibus, licet parce propinare Essent. Succini sine alcali alcoholisatam cum paucissima dosi Ess. croci combinatam. Mallem tamen supra laudatas pilulas ad mentem BECCHERI factas in usum vocare; sunt enim evacuans admodum lene, & per quam accommo-

C 2

dum,

dum, quod roborando tam intestinorum quam ipsius uteri tonum, ac stimulando ventrem ac intestina sordibus & ute- rum a stagnante sanguine repurgant, eoque ipso inflamma- tionem & febrem aliaque sæva a recrementis retentis oriunda pathemata optime arcent. Ubi jam præsens inflammatoria febris, præter venæctionem, stasis est discutienda, cui scopo inservit Mixtura sequens :

Rg. Aquæ Chæref.

Card. Ben.

Scord.

Flor. Samb.

Acac.

Aceti destill. aa unc. j $\beta$

Lapid. cancr. drachm. j $\beta$

Antim. diaph. drachm.  $\beta$ .

Spirit. Nitr. dulc. gutt. xx.

Dosis sing. bihor. cochlear. ij.

Obf. Opiata quæ ad spasmos abdominis compescendos in usu sunt, lochia potius suppressunt & afflictiones adau- gent.

### §. XXV.

*De uteri* Octiduo vel quatuordecim diebus præterlapsis, viribus purgatione, que refocillatis, ad ulteriorem uteri purgationem & ad im- pediendas molas, infusum hoc per epicrasis laxans & uteri- num commendari mereatur

Rg. Rad. Pimp. alb.

Carlin.

Levist. aa. drachm. vi.

Herb. Marub. alb.

Meliss.

Rorismar.

Serpill. aa Mj.

Flores Salu.

Cham. Rom. aa M $\beta$

Sem. Fœnic. 3ij.

Cort. Citr. drachm. vi.

Rad.

**Rad. Bryon.**

Elleb. nigr. aa unc. j.

Rhabarb. orient. unc. 6.

Fol. Sen. s. stip. drach. vi.

Agaric. alb. drachm. vij.

Salis Tart. drach. ij.

M. c. gr. m.F. Spec. cum mensura j. aquæ ferventis & Miß. vini albi infundendæ, & singulo mane legitima quantitate hauriend.

### §. XXVI.

Si malum a viscerum obstructione chronicum, cura sine legitimo aquarum mineralium vel acidularum vel thermarum temperatorum usu rarius ex voto succedit. Expedit vero medicamentis balsamicis hanc curam adjuvare, & exterius etiam ad viscerum tonum restituendum, ipsumque uterum debilitatum, silente fluxu, roborandum, balneo aquarum subadstringentium v. c. Lauchstadiensem uti.

*De balneis  
et aquis mi-  
neral.*

*Obseru. II.* In tota hujus morbi curatione, vigilandum est, ne obstetrices & aliæ mulieres illatas medicatrices admovant manus, pessime enim ineptis suis consiliis ægrotantibus plerumque consulere solent.

### §. XXVII.

Fluxus abortivus eandem exposcit medicationem quam *Therapia nimius*. Ubi profusio sanguinis lethalem exitum minatur, & *fluxus abortivus* lipothymici affectus superveniunt, exclusio fœtus vel molæ pitiivi. Iulis balsamicis Beccheri vel similibus promovenda est, quæ prius solvi & post XII horas repeti possunt, vel si ad manus non sunt, hepar anguillæ. Abortu & secundinis expulsis, mitigatio fluxus tentetur per temperantia, moderantia ac roborantia. Hæmorrhagia sedata, dentur discutientia interna e. g. Mixtura tonico-nervina Stahlii vel Ess. Alex. cum Ess. Millefol. Recursus abortus avertitur, si quies corpori ac animo conceditur, sanguis circa tempus abortus mittitur, & extra graviditatis statum omnia probe observantur, quæ legitimum mensium fluxum promovere possunt.

C 3

### §. XXVIII.

## §. XXVIII.

*Casus.*

Sub fine tractationis casum de lochiis suppressis jam enumerare libet, ex quo quantum in iis periculum sit patet: puerpera triginta sex annorum temperamenti sanguinei, ex terrore primo imminutionem, dein suppressionem lochiorum perpesta est. Huic suppressioni abdominis tumor dolor, nec non ad dextrum latus supra os pubis tumor, insomnia, non febris accessit. Ad hanc post nonnullas septimanas arcessitus, interne temperantia & infusa resolventia, cum pil. Beccheri propinavi. Externe tumori imposui cataplasma resolventia & emollientia, conjunctis propter alvum segniorem, clysteribus. His factis, abscessus brevi rupit, & statim circiter tres puris libræ profluxerunt. Vulnus sex hebdomates apertum servavi, & denique post, sufficientem mundificationem, consolidavi, ægrotacum valetudine secunda in gratiam perfecte reducta.

## §. XXIX.

Speciminis inauguralis loco, hæc de lochiis tradita mihi sufficere videntur. Nihil igitur restat, quam ut tibi, B. L. quævis fausta appræcemur & nos nostrum laborem benevolentiae tuæ commendemus.



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
IOANNI GEORGIO VRBANO  
MED. CAND. DIGNISS.  
AMICO DILECTISSIMO  
S. P. D.  
JOANNES GVILIELMVS BAVMER,  
PHIL. ET MED. DOCTOR.

*Amici officio parum fungerer, nisi de doctorali honore Tibi  
gratulans, successus conaminibus Tuis felices optarem. Du-  
plex hoc a me exigit ratio, tam, quia lectionibus meis dili-  
genter interfui, quam, hospitio propiore nexu Te mecum  
conjungente. Hic Te talem vitae integritate præbuisti, ut,  
illæsa veritate, tantum laudis Tibi impertire possem, quan-  
tum viro bono debetur. Diutius quidem consortium Tuum  
optassem, nisi res Tuæ domesticæ aliud juberent. Lares igi-  
tur repententi, ad futuram praxin, propriam opto ac perpe-  
tuam fortunam, meque etiam in posterum amicitiae Tuæ com-  
mendo.*

Dabem XI ante Cal. Januar. M DCCL.

---

*S*eehrter Freund, ein Batterland  
Verbindet unser Freundschafts-Band.  
Dein Fleiß und unverfälschter Sinn  
Nimmt nun den guten Lohn dahin.  
Man giebet Dir den Doctor-Huth;  
So regt sich Deines Freundes Blut,

Und

Und wünschet Dir viel tausend Heil,  
Zu einem Eigenthum und Theil.  
Eure glücklich! gäub dabey,  
Dass meine Freundschaft ewig sey.

Mit diesem wölle dem Herrn Doctor  
randen Glück wünschen

**Carl Christian Acoluth**  
Phil. & Med. Cand. Opponiens.

**G**reund, den Hygaa jetzt mit ihrem Lorbeer kränzet  
Da Deines Fleißes Frucht um Deine Scheitel glänzet;  
So höre hier geneigt, was meine Muse spielt,  
Die durch den Mund verräth, was sie im Busen fühlt:  
Zeuch hin mit diesem Lohn, den Dir Dein Fleiß gewähret,  
Mit Aesculapens Krafft sey Deine Kunst vermehret,  
Der Seuchen blasses Heer, des todes Mordgesellen,  
Soll, scheuch vor Deinem Eranz von Dir zurücke prellen!  
So wird mein Wunsch erfüllt, so weiß ich Dich beglückt,  
Ob uns des Schicksals Macht gleich von einander rückt.

Hiermit hat die Ehre dem Herrn Doctor  
randen seine Ergebenheit zu bezeugen, und sich ein geneigtes Wohl-  
wollen auszubitten

Dasselben

gehorsamster Diener

**C. M. Wieland, aus Schwaben**  
Phil. & J. U. Studiosus

